



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Capitvlvm Vlt. Quia nos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

Quia nos.

S V M M A R I V M.

1. *Sine pallio & sandalijs potest Archiepiscopus celebrare.*
2. *In aliena diœcesi celebrans Missam vti isdem potest, non petita licentiâ proprij Episcopi iuxta probabilem sententiâ; contraria tamen viget consuetudo, in Germania saltem.*
3. *In Missa pro defunctis Archiepiscopo pallio vti non licet, nisi in priuilegio expressum sit, vsus ei concessum in tali Missa.*

ARchiepiscopus quidam inter alias quæstiones proposuit Honorio III. Vtrum tam in sua, quàm in aliena diœcesi celebrare possit absque pallio, & sandalijs. Deinde vtrum licitum ipsi sit pro defunctis cum pallio celebrare. Ad i. q. affirmatiuè respondet Honorius: Quia nec in sua diœcesi Archiepiscopus pallio semper vti debet, sed ijs tantùm diebus (videl. solemnibus) qui in ecclesijs suæ priuilegijs expressi sunt. In aliena verò diœcesi pallio vti non debet, nisi speciale priuilegium habeat: & tamen nihilominus Missam celebrare potest.

2. Sed numquid in aliena diœcesi celebrans Missam, sandalijs, alijsque Pontificalibus insignibus vti potest, etiam non petita licentiâ proprij Episcopi? Eadèmq. quæstio procedit de Prælatis benedictis, vtrum Pontificalibus in aliena ecclesia vti possint absque licentiâ Prælati. Hanc q. tractat Gl. in Clem. Archiepiscopo, de priuilegijs, & cum Hostiensis tenet sent. affirmatiuam, contra Innocent. in hoc c. Quia insignia Pontificalia spectant quodammodo ad celebrationem Episcopi: vt sicuti Missam celebrare in aliena diœcesi Episcopo concessum est, ita etiam insignibus Episcopalibus vti, vti docui etiam lib. i. tr. 4. c. 5. n. 5. in fine. Qua simili ratione

docent DD. apud Angel. ver. priuilegium, §. 4. quòd priuilegium concessum Episcopo tempore interdicti Missam faciendi, explicandum sit, quòd in Pontificalibus possit: quia hic est proprius eius sacrificandi modus. Idèmq. inter alios docet Augustinus Barbosa de offic. Episcopi, p. 2. allegat. 27. n. 64. addens, quòd Episcopus in aliena diœcesi populo solemniter benedicere possit, etiam absque ordinarij Episcopi consensu: quia iste est actus ordinis, non iurisdictionis. Hæc sententia est probabilis. Sed aduerto imprimis, contrariam vigere consuetudinem, scilicet in nostra Germania; non enim solent Episcopi in diœcesi aliena; aut alij Prælati in ecclesijs sibi non subiectis sacrificare in Pontificalibus, multò minùs actum Pontificalè exercere, v. g. solemnem benedictionem dare, nisi accedat cõsensus Episcopi ordinarij, vel alterius Prælati, si v. g. Abbas in alieno Monasterio celebret. Et consentit huic consuetudini, c. Abbates, de priuileg. in 6. & cit. Clem. Archiepiscopo. Ad rationes in contrarium responderi potest: Insignia Pontificalia v. g. pedum, anulum, non significare tantum ordinem & dignitatem episcopalem: sed etiam iurisdictionem, maxime si accedat solemnis populi benedictio: quare hæc competunt Episcopo, vel alteri Prælato non simpliciter, sed cum ordine ad ecclesiam, vel diœcesin suam. Ex quo sequitur, quòd Episcopus, qui renuntiauit Episcopatu, Pontificalia exercere non possit, absque Apostolicæ Sedis licentiâ, arg. c. de renunt.

Alia quæstio Innoc. proposita erat, vtrum in sacrificio pro defunctis Archiepiscopum pallio vti oporteat. Responso est negatiua; nisi in priuilegio expressum sit, vt in Missa pro defunctis pallio vti liceat: alioquin solùm in solemnibus diebus, quibus Archiepiscopus pro defunctis non celebrat, pallio vti debet. Hæc videtur esse mens

Gl. Innoc. Abbat. & aliorum hic.